DE INTIMA FEBRIUM CAUSA SPECIMEN INAUGURALE QUOD ... MENSE MARTII...

Giuseppe medico Poggi (medico)

DE INTIMA

FEBRIUM CAUSA

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. ALOYSIO SCARENZIO

Pathologiae Generalis atque Pharmacologiae Professore Ordinario

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii anno 1843

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

JOSEPH POGGI

TICINENSIS

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

Liberam profiteor medicinam, nec ab antiquis sum, nec a novis, utrosque ubi veritatem colunt sequor, multifacio saepius repetitam experientiam.
Klein Interp. clinicae.

Duo sunt praecipui medicinae cardines, *ratio* et *observatio*; observatio tamen est filum, ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia. Unicuique morbo non fictitia, sed certa ac propria natura est, certa pariter, ac propria principia, incrementa, status et declinationes, et sicuti haec omnia nulla mentis ope, sive independenter a mente peraguntur; ita in exploranda illorum natura nihil usui nobis erit subtilis et arcana disputandi ratio, sed repetita ac diligens observatio eorum, quae singulis accidunt aegrotantibus, nec non solertia mentis naturae methodo conformis, ac pedisequa.

Sed non raro medicorum spectationi, quamquam ratione et experientia suffulta, eventus non respondent: idque non ex regularum praestantissimae artis defectu, verum ex multiplici, ac pene

incredibili caussarum tum interiorum tum externarum concursu: vel potius ex patientis, adstantium et medici indebite accomodandi, determinandique ea, quae ad curationem spectant, negligentia et erroribus. Sic accuratus et oculatissimus Baglivius, et cum eo alii medici celeberrimi.

Thomas Sydenhamius de occulta febrium caussis disserens, ait. « Hoc pro comperto habeo ex multiplici accuratissimarum observationum fide praedictas morborum species, praesertim continuas, ita toto caelo differre, ut qua methodo currente anno aegrotos liberaveris, eadem ipsa anno jam vertente ipsos forsan e medio tolles ». Et paulo post subjungit. « Proinde nisi ingenti adhibita cautela intentisque omnibus animi narvis, vix ac ne vix quidem possim efficere, ne unus aut alter eorum, qui se primi meae curae promiserint de vita periclitetur, donec investigato morbi genio ad eundem perdomandum, recto pede et intrepidus accedam ».

Nota et comperta est febrium natura maxime prothesiformis. Etenim saepe saepius febris ephemera se transmutat in hecticam, phthisica in intermittentem, intermittens, etiam quartana, in continuam, e converso, febres continuae in intermittentes redeunt. Quae insignis cujusdam symptomatis ratione varia induunt nomina. Sic autumnales febres, quae primum de continuorum genere videntur, paucis post diebus in intermitten-

tium castra transeunt; si naturam nimia medentis diligentia non pervertat.

Diu etiam multumque disputatum est, utrum febrium natura ad inflammationes, an ad morbos hyposthenicos spectare deberet. Quae quidem tam longa controversia duabus de causis certe exorta fuit. Febris enim modo inflammatoriam indolem, modo hyposthenicam induit. Remedium vero, quo febris discutitur, prout variis medicis fuit ingenium, nunc tonica vi, aut excitanti, nunc deprimenti gaudere dictum est.

Attamen multi exstiterunt antiquiores medici, qui quamquam antecaptis opinionibus obcoecati, invito quasi animo peculiarem cortici peruviano facultatem tribuere sibi persuaserunt. Hinc factum est ut aliquando, licet raro, peculiarem naturam febribus tribuerent. Servatum enim erat nostris hisce temporibus, febrium legitimam causam, earumque naturam commode atque concinne detegere. Per haec scilicet tempora, in quibus majora suppetunt lumina; in quibus anatomen, physiologiam, pathologiam altius medici recentiores penetravere, in quibus nervorum imperium erga systemate organica luculentius patet, ac reliquae humani corporis functiones clare ac perspicue agnoscuntur.

Series gangliorum, quae mutuo inter se invicem comunicant per filamenta nonnulla, utrinque columnam vertebralem scandit. Ex hac gangliorum unione surculi nervei pene innumeri profici-

scuntur, qui praeterquam quod omnibus omnino visceribus, pectoris, abdominis nervos filamenta impertiri solent, intima insuper unione cum aliis quoque systematibus nervosis conjunguntur, vel, ut aliis quoque utar verbis, veritati forte propioribus, systema inter sympaticum et cerebrale filamenta habentur communicationis, quorum munus est arctissimis unionibus mutuum consensum atque concentum omni tempore tueri. Ex hujusmodi filamentis, per quae communicatio habetur et est, numero sexaginta revera adsunt contextos ganglionicos medullae spinalis adeuntis. Praeterea intercostalis nervus cum cerebro communicationem sibi comparat, qua quinti paris ope, qua sexti nervorum cerebralium. Jamque silentio praetereunda esse puto minora vincula, transiturus ad nobiliorum ex gangliis descriptionem.

Primo quidem maximum illud est, quod conditur in abdominis cavo, et revera situm est propter aortam eo loco, quo arteria caeliaca exurgit: figuram habet dimidiae lunae, idcirco *ganglion semilunare* a veteribus dictum est. Quamplurimos nexus sibi vindicat cum aliis gangliis, aut plexibus proximis; quamobrem filamenta numerosiora et plexui solari, et plexibus renalibus, mesentericis, hepaticis, spermaticis, atque respondentibus gangliis plus minus ministrat, ex quibus certo accidere solet, ut unus atque unicus consensus hujusmodi inter ganglia et plexus constanter ha-

beatur. Verom enim quodnam sit ganglion praecipuum tenens inter reliqua imperium, disputationi neque inapportunee, nec tam facili originem praebet. Jamque proposite iste sunt singillatim recensenda.

Ut igitur, quae mihi ostendenda proposui, luculentius pateant, ab intercostalis nervi dispositione ac distributione incipiam.

Nervus hic, quem sympaticum magnum, anatomici, ac trisplanchnicum vocare malunt, siquidem trium systematum viscera surculis, ac plexibus suis amplectitur, geminas anatomicae observationi extremitates offert, hinc cerebrum, inde ventrem respicientes. Extremitas autem cephalica a carotico canaliculo et e sinu cavernoso exit, plexumque refert gangliis interspersum; tum bini ab ipsa discendentes surculi nervei sexti paris nervum offendunt et in unum conveniunt, alter vero surculus nervum Vidianum profundum petit. Hujusmodi plexus geminos edere solet ramos, carotideam arteriam anterius, posteriusque legunt, atque ubi ex carotico canalicolo egressus est, unicum constituit truncum, hic proinde in ganglium abit olivare, *cervicale superius* etiam nuncupatum, descendit truncus exilis prorsus, gangliumque lenticulare, sed parvum, nempe *cervicale medium* praeter arteriam thyroideam componit, tum propius profundiusque aliud conficit ganglium *infernum*, ut vocant. Postea nervus intercostalis tran-

agreditur ad pectus, ac prius thoracicum ganglium superius, juxta supernae costae capitulum, in cervice originem ducit. secundum ipsam sequentium costarum regionem intra earum spatium, totidem ganglia pedetentim decrescentia ultima tenus dorsi vertebra conflantur. Interim nervus intercostalis ad anteriorem vertebrarum faciem identidem accedit ac per diaphragmati spatium, ubi secundos ac tertios ejus columnae fasciculas patit, in abdomen traducitur, atque ad vertebrarum corpus propius accedit; parvam autem intra pelvim duo atque tria interdum ganglia constituit. Quum ad cocygem denique ventum sit, aut in parvum desinit ganglium, aut cum alterius extremitate copulatur, arcum quamdam perficit, ex quo fila nonnulla ad rectum intestinum usque proficiscuntur. Neque vero praetermittendum est, universa intercostalis ganglia, cum nervis spinalibus mutua communione inter se conjungi, quae quidem communio tenuiorum propaginum quarumdam ope perficitur.

Utque rem brevius expediam, a ganglio quolibet hujusce nervi, surculi nonnulli propinquiores instruunt partes, ac plexubus quampluribus originem praebent; qui innumeris pene staminibus retem modo plus, modo minus implicatam huc illucque componunt vasa, ac proxima circum viscera induentem. Hos inter plexus eminet praecipue carotideus ex cervicali superiore ortus, cui nonnulli vagi nervi staminis affluunt; ex priore

ganglio thoracico cardiacus plexus, cordis coronarius dexter, atque sinister; ex ganglio semilunari (in imo ventre) e gangliis caeliacis, plexus solaris; ex hoc autem plexu alii efficiuntur, nempe coronarius stomachicus, hepaticus, splenicus, diaphragmaticus, mesentericus superior atque inferior, renalis, spermaticus, ac denique hypogastricus. Verumtamen hos inter plexus omnes ad pectus aeque, atque ad imum ventrem pertinentes, ii eminent praecipue, qui vasa majora quaquaversus amplectuntur, ibique praecipuum quasi totius nervi centrum constituunt.

Nonnulli ex cervicali ganglio superiore exeunt surculi, plexum carotideum componentes, atque ex iis unus et alter nervum cardiacum profundum ac superficialem suppeditant. Ex sexto, septimo, octavo, nono, decimo et undecimo interdum ex gangliis thoracicis intercostalibus, qui simul stipantur, splanchnicus nervus, alius collateralis proficiscitur; ex splanchnico demum alter ramus originem ducit, qui intercostalem et splanchnicum inter locum tenet

Ex anatomica hac demonstratione recte perpensa, animadverti potest, quantum hujuscemodi nervus in viscera ac vasa fere universa, et in majora praecipue imperium teneat, neque latere debet, ut melius ejus officium in promptu sit inextricabilem pene esse ramorum distributionem, atque implicationem, qua modo inter se invicem disjun-

ea

guntur, modo iterum copulantur, atque simul cum sociis, aut cum aliis multifariam decussantur, viscera ac vasa omnia non modo, sed et musculos etiam amplectuntur, quo fit, et unam atque unicam partium omnium communionem conservent. Liceat praeterea mihi aliquid modo de hujus nervi intimiori fabrica referre. De surculis ac ramis nihil dicam, gangliа autem binis componuntur substantiis, ex his altera exterius, interiusque altera sita est, hanc secundariam, *pulposam*, *cellulosam* superiores dicunt anatomici, rubeamque cum cineraceo mixtum colorem praesefert, illam *primariam* ac *medullaris* nomine insigniunt, albidoque instruitur colore; hanc surculi omnes quot quot sunt nevrilemate exuti penetrant atque in infima ganglii parte in innumera stamina gangliorum reticulum constituentia dividuntur.

Haec habebam de intercostali nervo dicenda; neque hic vero de supervacanea hujus nervi descriptione arguat aliquis; etenim si de ejus in febribus influxu disputare modo audeam, ab ejus distributione, quam recentiores tradiderunt anatomici, siquidem ordo rerum expetit, incipiendum esse mihi visum est

Verum antequam ad rem propositam descendam, in dubium non revocare arbitror, neminem quidem medicorum nullius partis sequacem nervi intercostalis, in excitanda febre non latere influxum. Etenim quum ad hujus nervi structuram,

atque compositionem non modo, sed ad ejus distributionem etiam animum convertat, intelligere facillime poterit, in errorem eos incidisse, qui intercostalem nervum e cerebro progigni censebant, quemadmodum praeteritis temporibus nonnulli autumabant anatomici. Neque hodierno die desunt alii, qui contra communem peritorum sagaciorumque naturae investigatorum propriam ferrent opinionem, aut alii non invito animo aut hanc, aut illam sequantur, quippe qui nihil discriminis intercedere fateantur, dum purae putaeque anatomiae ostensioni indulgenter acquiescunt. Sed hic locus non est, omnium hypotheses recensere. Intelligamus oportet, hujusmodi nervum unicum, atque peculiare aliis discrepans systema constituere; deinde hunc ipsum nervum in systemata omnia influxum potiorem exercere, quae voluntatis legibus subjiciuntur et praecipue in ipsum vasorum systema. Huc proinde quaestionis tendit argumentum. Constat idcirco, arterias atque cor ipsum, propter vim quamdam iis insitam, moveri, atque hujusmodi motus ab impressionibus excitari, quas assiduo vasorum parietes agunt. Neque id tantum satis esse arbitror: etenim ad nervorum influxum mentem convertere debemus, ex quo impressionum perseverantia deducitur; et reapse si ad experimenta devenimus, res clarius elucescit. Etenim evenit, quemadmodum compertum est, ut post excisum nervum, aut quocumque modo

ejus continuitatem abruptam, arteriarum actio serius ocyus perturbetur; ideoque in primis vas expetit ab impetu sanguinis impressiones, posteo horum alacritatis vis infringitur, ac protinus deficit. Ex his igitur recte conficitur haud parvi momenti faciendam esse nervorum distributionem per arteriarum parietes; quin immo ex allato exemplo manifeste patet, quantum nervi ipsi vitae vasorum necessitatis afferant. Verum quinam ex istis nervis potiores per arteriarum parietes disperguntur? Numquid ii, quos cerebrum ad universas corporis partes distribuit? quos medulla spinalis progignit? Minime prorsus. Hos nisi omnes, maximam saltem partem nervus intercostalis mittit. Hujusmodi argumentum ab scriptorum auctoritate confirmatur, qui quum obscurum adhuc ejus originis principium, ejusque radicularum innumeram pene seriem, atque assiduitate incredibili investigare studuerit, tum arteriarum, aut vasorum nervum ipsum vocare distributionis gratia existimaverunt.

Haec interim dum ita se habent, quemadmodum satis innotescit, quaenam frequentior, ac naturae magis consentanea causa, tot tantaeque vasorum perturbationes sub efferveseanti febrium tumultu excitare poterit? Hoc, ut refetet aliquis, in vi arteriarum perversa repunendum. Sed quo talis ac tanta facultas arteriis datur, ut nihil earum vim temperare, atque moderare quodammodo possit? Interim hic quid investigationibus absit

nostris, imo ut latior adversariorum judiciis pateat campus, ad experimentum, de quo superius, redeundum esse censeo. Excidatur ideo, aut obligetur ramus aliquis nerveus, qui in arteriarum parietes dispersurus abit; post id, observari poterit, quod impulsus arteriarum pedetentim languescere incipit, atque penitus denique deficit. Dum haec agebantur, nihil laesionis in arteriarum textu comparatum fuit, nihil roboris damptum impressionibus, quas juxta naturae limites sanguinis impetus concitabat. Quo circa recte conficitur, et deficiens arteriarum motus, ob nervosae facultatis detrimento ansam potissimum arripuerit. Ponamus modo, incolumen se se habere nervum, aut, ut melius dicam, nullam organicam laesionem extitisse, sed vitae functiones potius vehementer affici mente effingamus, propterea quod fluidum illud, quod nerveum, aut electricum, aut galvanicum vocabatur, aut id tandem quodcumque sit, quod nervorum naturam atque potestatem praesefert, motum, aut actionem suam praeter consuetudinem exerceat; tunc insueti arteriarum motus necessario sequuntur. Ne multis; concedamus, aliquam vitae laesionem fieri postquam potentia qualibet nocens, aut per meatus aliquos internos corporis caveos ingressa fuerit, aut postquam alicui externae regioni fuerit admota, tum vitae aut organicae, aut animalis systema hujusmodi impressionem patitur, ut fluidum illud, aut

principium tenuissimum quodcunque sit, quod ab extremitate motu insueto nervorum ad alias impressiones traducit, motu insueto impellat; atque ubi ad vitae organicae centrum provenit, insuetas item impressiones per innumerabilia ejus stamina horumque propagines, et eas praecipue, quibus vasorum parietes exornantur, effundit; quapropter sit, ut arteriarum actiones extra naturae modum fungantur, ac proinde sanguineum systema efficiatur perturbatione, quae febrem ipsam constituit.

Igitur febrim nil aliud esse censeo, quam puram, putamque nervorum affectionem, ex qua sive directe, sive non, systema sympaticum laboret.

Quae quidem quum inficiari nullatenus aliquis possit, quemadmodum rerum ordo sic expetit, ampliora profecto quaestioni nostrae fundamenta jaciunt, dummodo effectus a nervorum affectionibus derivantes, recta mente prosequamur. Antequam rem funditus patefaciam, ab hoc potissimum principio exordiendum esse judico, de quo alias mentionem feci. Ponemus nempe, nervum intercostalem perturbatione aliqua affici propter insultum peculiarium impressionum stimulum; tum diversus prorsus agendi modus, in ultimas capillarium vasorum extremitates habebitur, atque ille, quem hujus nervi functiones juxta naturae leges exquirebant. Quapropter sit, ut haud communes nervorum impressiones capillaria vascula irritamine

quodam afficiant, atque aliqua ex parte ostendantur, uique obstruentur, de quo jam, celeberrimus Medicus scripsit. Quum autem minima istiusmodi vascula interclusione aliqua obturentur, tuuo sanguinis circumeuntis unda rejicitur, propterea que sanguinis ipsius copia minor ad cutim diffunditur, atque uberius in vasorum truncos eorumque fontem redundat. Verum sanguinis motus, atque confluens per universas corporis partes aequabiliter distribuitur; sed si capillaria vascula sanguinis ipsius defectu laborent, calor prorsus amittitur; illud igitur febris stadium in propatulo est, quod frigoris nomine appellatur. Quemadmodum vero capillarium obstructio sensim ac pedetentim augetur, ita varii hujus stadii gradus progrediuntur; hujusmodi sunt perfrigeratio, horror et rigor, sub quibus cutis perstringitur, fitque, ut vulgo dicitur, anserina. Hoc autem in rerum statu sanguinis unda, undam impellens in capillarium vasorum oscula obstructione perstricta, omni vi remittitur, ac magno urget impetu, quoad usque perstrictionis obicem exsuperat, ingreditur, agrediturque, ac pristinum denique circuitum explet; temperiei aequilibrium partibus omnibus tunc restituitur, subinde cutis rosso depingi colore observamus, corpus calescere, ac demum, ne longius abeam, caloris incipere stadium. Dum vero corporis temperies propter majorem caloris evolutionem per universum corpus diffunditur,

tunc partes omnes aeque fluidae, ac solidae ab eadem caloris copia pervaduntur, quo fit, ut sanguis, ac humores ab ipso secreti sensim sensimque concalefiant, vasorum parietes, et capillarium praesertim plus aequo dilatentur; ac fluida idcirco hunc in modum rarefacta sub vaporis tenuissimi forma, exhalentur; inde copiosus per totam corporis superficiem sudor dimanet; idque sudoris stadium perficit, ac febri finis tandem imponitur. Etenim, quantum caloris supervacaneum erat, id exhaustum est, vis ideo cordis impellens, capillariumque vasorum renisus oppugnans ad pristinum reducitur aequilibrium sub qua corpus jam defatigatum, aliqua gaudet, quantum fieri potest; tranquillitate, quae tempore illo ab extremo febris puncto, ad novum febris accessum percurrente continetur, eamque intermittentiam, aut apyrexiam vocant; si vero hujusmodi virium restauratio prorsus absolvatur, tunc perfecta quies supervenit, ac id temporis remissionis sibi nomen adsciscit.

Interim, ut disputationis nostrae clarius pateat veritas, imo perficiatur, ut ita dicam, superest, ut rationem de eo reddamus, quo simul ac nervi intercostalis systema irritamina aliqua comitatur, propagines nervorum ab ipso descendentes, perturbationes, ac phoenomena illa statis deliberatisque temporibus quibusdam, in medium proferant, de quibus hactenus disserimus. Id porro arduum scilicet est, atque investigationibus no-

stris adhuc subducitur, et quamvis aliquid hac super re traditum sit, nihil tamen ad hujus quaestionis perspicuitatem facit, quandoquidem substantiae illius potioris systemati nervorum inhaerentis natura, atque indoles minime innotescit. Nihilo tamen secius propositionum series, quas nos amplexi sumus, haud minus certae sunt.

Evenit revera, ut aliquibus in morbis hanc nervorum praecipuam facultatem, potissimum agere solet mirum in modum, fere, uti dicam, specialem; dumtaxat per intervalla, distinctas eorum notas, vel symptomata, indicans, ac statutis plus minusve spatiis temporis quiescendo. Est in exemplum idcirco morbus ille sub epilepsiae nomine vocatus; hic sicut luculenter patet, ab nervosi systematis affectione originem ducit, ac statutis quibusdam spatii intermissionibus revertitur; hanc intercapedinum legem ac regulam, quo chorea Sancti Viti, qua hystericae affectiones, omne item convulsionem genus, quodcumque sit, ceterarumque affectionum servare videntur, quae intra nervosum ordinem circumscribi solent Sed hoc minime satis est, etenim praeter nervorum morbos, alii etiam eumdem naturae ordinem sequuntur, Itaque qui Parmensis Instituti doctrinas hauserunt, peculiarem hunc intermissionum modum in inflammationibus ipsis animadvertunt, ex his ideo efficitur, ut, juxta determinatas phases nonnullas, ac stadia eorum curriculum absolvatur, quae quidem

omnia si recte perpendantur, criticorum dierum doctrina elucescet. Nos vero ut eorum opiniones, nostris licat adversarius, praetereamus, acutam hanc, dum inflammationis processus peragitur, exacerbationum regulam in perturbatis nervorum functionibus reponendam esse arbitramur.

Sed ad rem, unde discessimus, revertamur. Illud interea procul dubio pro certo habamus, amplissimae latissimaeque febrium classis potiora phaenomena, quae passim evolvuntur, ab nervorum imperio proficisci. Hoc autem non modo de febribus iis statuendum est, in quibus nervorum systema in universum afficitur, quod quidem plerumque tum observare atque intelligere quisque potest, quum hujusmodi febribus occasionales causae, ut dicunt, originem praebuerint, inter quas recensentur emanantes paludum habitus, ac vapores, tempestatum quarundam constitutiones, bisque insuper animi vehementes motus addantur; verum etiam de febribus iis idem decernendum est quae a localibus aut partialibus causis oriri potius videntur. Irritamentum itaque gastricis ab impuritatibus comparatum, quae in exquisitas ac sensibiles nervorum stomachum adeuntium papillas agunt, si febrim excitat, hoc est, quod impressiones, illae insuetae, quum ad proximum vitae organicae centrum, radiationis ope perveniunt, actiones, functionesque intercostalis systematis perturbant, atque ideo febris insurgit. Atque etiam

irritatio illa e vermium turba in intestinorum tubo excita, febrim ipsam nulla alia de causa quidem parit, nisi quia hujusmodi irritamentum per sensibiliores nervi intercostalis papillas transfertur. Praeterea si quis adhuc in dubium revocare velit, febrium perturbationes ab ante actis causis proficiscentes, e laesa nervorum facultate oriri nullo modo posse, aliis argumentis addam nunc phoenomena morborum quorundam propria, quae *sympatica* nuncupantur; inter quae eminent ante omnia hinc pupillae midriasis, inde narium pruritus, quae in vermium tumultu aegrotantes infestant: hoc nullo alii sane modo contingere potest, nisi quod haec organa inter atque nervum intercostalem communicatio vera ac directa intercedit.

Ex hisce animadversionibus generatim desumptis, haud difficile est, nulla quam maxime deducere consectaria, ut febres in aptiorem ac magis naturae consonum ordinem distribuantur. Et revera quaedam adnumerantur febres, quae sicuti peculiari nullo irritamento, aut fomite locali oriuntur, ita in universali nervorum vitae organicae affectione, universalibusque itidem causis convenientius reponi debent. Harum febrium genus eo magis congruens, atque ordinatam curriculum pervaga ex eo quod congruens atque (hoc liceat uti dicunt modo) ordinatus nervis intercostalis effectus videtur. Ac nemo quidem inficiari potest

eas, maxima sane parte, a frigore incipere, deinde in caloris stadium transire, atque cum uberrimo sudoris profusione finem denique facere; frigus plerumque in longum producitur; omnesque corporis artus simul complectitur; calor pariter aequali temperiei incremento universim distribuitur, totamque corporis superficiem sudoris effusio madefacit. Hoc febrium genus est, quod *legitimarum* nomen sibi comparavit. Ex adverso, febres a localibus, ac peculiaribus irritamentis ortum ducentes, non ita regulares, atque distinctas decurrunt periodos; nihil frigoris aut parum in iis observatur, calor in varias corporis partes sine aequilibrio diffunditur, sudor vero aliquam tantum sibi locum eligit, faciem nempe, aut pectus. Abnormis hujusmodi febrium decursus, juxta plus minus auctum irritationis gradum, ac vehementiam, modo plus, modo minus ab naturae ordine discedit. Constat igitur primam, quam tradidi, febrium divisionem, magis cum observationibus omnium fere auctorum, atque cum rerum eventibus consentire; hujusmodi scilicet divisio bina haec genera comprehendit, primum *idiopathicum*, *sympathicum* aut *consensuale* alterum appellatur. Sed praeter duplicem hanc febrium divisionem, alia quoque genera recensenda supersunt. Etenim evenit interdum, ut nonnulli morborum interventus modo hoc, modo illud febris sistenti genus sequantur; interdum etiam contingere solet, ut sub

initio lebris, aliae simul accesserint causae a potentiis nocentibus exterioribus ortae, quocirca in aliquem organorum locum suam pravitatem exerunt atque aliquem ex eo morbum progignuntur hoc in casu cum variis implicatur affectionibus. Dum ita se se res habent, legitima febris cum alia indolis irritativae complicatur, aut, ne vocabula superius admissa praeteream, idiopathica febris cum sympathica conjungitur. Febris insuper legitima cum diathesi hypersthenica interdum sociari potest, aut cum hyposthenica.

Etsi, praeteritis temporibus, ac nostris etiam, nonnulli auctores hujus sententiae fuerint, complicationes istas, uti nos vocamus, febrium potius essentiam constituere; facile tamen est intellectu, eos in errore versari. Id itaque observationibus illustremus oportet. Et revera si diathesis hypersthenica, aut hyposthenica lebris naturam constitueret, id multum faceret ad hujus morbi curationem; etenim vitae viribus adauctis, aut depressis per opium, per aetheres, per sanguinis missiones, per acidum borussicum, per digitalem purpuream, aliaque similia, febris illico depelletur. Sed haec in modum res minime geritur; etenim corticis peruviani subsidio, tantummodo debellantur legitimae febres, atque cortex peruvianus neque ad incitandum, neque ad deprimendum satis valet. Igitur china chinarum discutit ex eo solum, quia specifica quadam antecellit in acces-

sua febriles potestate; talem praesefert indolem febris, ut, neque ea, quae vires efferunt, aut infringunt, ipsi subsidio venire possint. At refutatio hic in nostrum argumentum, locum habere posse animadvertamus; etenim hocce remedium quoties deprimenti vi preditum videri dicitur: nihilominus nostra eo magis urget expositio, siquidem nostrorum Medicinae patrum auctoritati atque experientiae innititur, ac recentiorum doctrina sapientiaque praestantium animadversiones eam confirmant. Quamvis apud hos constat quidem chinam chinarum simul venae sectionibus praescriptam summopere praestitisse in febribus inflammatione succensis. Hujus facti testimonium eximium nobis Saint Laurenti exhibet; celeberrimus vero vir et praeceptor praeclarissimus, ulterius experimenta compulit, qui inflammationes, plane etiam graviores post venam excisam, cortice peruviano, sulphate chininae sed curavit, quin ullus exacerbationibus locus in posterum habitus fuerit, quod e castigatissimo, atque omnibus prorsus numeris absoluto ejus opere traditum est.

Quod si in febrium simplicium aut legitimarum curatione, quae incitant, aut debilitant, remedia minime condecent, eadem tunc optimum ferunt auxilium, imo quasi necessaria esse arbitramur, quum febres legitimas alterutra diathesis comitatur. Utque ad exemplo devenismus, venae sectio non modo convenit, sed etiam necessaria judica-

bitur, si virium robur praeter modum adauctum emineat, atque universalis plethora aperte appareat. Cum vero de gravi vitae organicae virium depressione agatur, tunc necessario requiritur, ut chinae ohinorum incitantia addantur, quemadmodum vinum meracius, atque opium inter praecipua recensentur. Contra, si irritatio aliqua hujusmodi febrim implicet, opus est ut medicus naturae minister juxta indicationes, naturam, ac substantiae irritantis indolem, nec non irritantis potestatis vehementia plus minusve eminantem, curationem admoveat.

Duplex igitur indicatio in febribus legitimis, et complicatis medicum expetit consilium, nempe per idem temporis, si fieri possit, discutere principium, quod febri legitimae ansam praebuit, implicationem vero aut morbum febri junctum, de medio tollere necessarium est.

Quod ad secundarias attinet febres, pauca addere possumus; harum enim cognitionem pene nihil utilitatis, aut certe parum afferre duco, si earumdem curationem illico atque immediate suscipiamus. Etenim nullo alioquidem modo debellari possunt, nisi causae, unde originem ducunt, evertantur.

Ex quibus omnibus colligere unusquisque per se quidem potest sequentia; febrim non aliud profecto constituere, quam affectionem nervosam; systeme sympaticum partem esse, quae directo

affectione febrili percellitur; ad hanc modum, febris natura considerata, affectionem localem esse necessario debere; febris generationem veluti secundariam respici quandoque posse; febris naturam minime constare ex hypersthenis atque hyposthenia, statum irritativum semper febribus consociari; facillime febribus inflammationes, quasdam comites ire; febrim hyposthenicam scriptorum, simplicem efficere febrium complicationem; conditionem denique hyposthenicam, aut hypersthenicam nil aliud indicari debere, quam fortuitam complicationem.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1. Febris puerperalis non idem perpetuo morbus est, sed potius febris est irritativa sub decursu diversam saepe induens naturam, ac complicationem.
2. Absque caussarum notione neque diagnosis, neque prognosis, neque therapia recte institui, vel dirigi possunt.
3. Phoenomena, quae critica vocantur, utpote morborum effectus habenda sunt.
4. Sanguis ab hirudine absorptus, idest vasorum capillarium sanguis, fibrina magis constat, quam qui phlebotomia extrahitur: unde hirudinum usus summopere commendatur.
5. Febres sunt morbi quoad formam et naturam ut plurimum versatiles, et speciale et praecipuum illarum substratum est sphaera nervosa gangliaris.
6. Digitalis actio fere semper incerta est; deprimit reapse actiones vitales, sed nunquam imminuit quantitatem sanguinis: quamobrem digitalis saepe saepius sola non sufficit ad morbos inflammatorios curandos.